



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Obedientia fortis & simplex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

da ferius, ad cultum diuinum domi, publiceque celebrandum vehementer intentus, & qui sibi, & Vxori, & Aulicis seuerum ieiunium Quadragesima tota indiceret, seruaretque, nunquam cuiquam nisi Dominico die præbita coena.

*Obedientia  
soris, & fratris  
plen.*

Inter hæc vnum fuit molestum tractatu negotium, sed pro eius grauitate (maius enim re quam specie erat) & obedientia Canisij præmitti non potuit. Præ nobili, ac pio Dynastæ à confessionibus erat Sacerdos de societate animorum tractandorum beneperitus, sed qui frequentior esset in Aula, quam disciplinæ domesticæ, institutisque ordinis conueniret. Eam ob rem tentauerant Patres, si possent hominem ab eo munere, locoque euocatum Romam abstrahere, nec quicquam erat profectum, nisi vt grauiter Princeps offenderetur. Causa igitur vel transigenda, vel mitiganda permissa est à Præposito Generali & Prouinciali Hoffæo autoritati, prudentiæque Canisij. Dolebat Princeps bonum, gratumque sibi confessarium tam subito in urbem euocari, & tãquam male gesto munere deformari. Proferri iubebat si quid subesset fraudis: sin autem nihil explicaretur, aiebat, nihil sibi restare aliud, dum

videret

videret immerentem hominem tam dure tractari, quam vt culpam in odium, & inuidiam domesticorum conferret. Tum Canisius grauem, ac sapientem disputationem ingressus, palam ostendit, quàm nihil bonæ frugis Aulæ vsus tantus Confessario ipsi, nec socio, nec aulicis, nec aliorum denique cuiquam afferret. De veneratione, & obseruantia, quæ sacris viris debetur, Aulicos multum remittere: mortales alios ex quibus, tam multos societati Satan æmulos, & obtrectatores vbique conciliet, existimare nos Magnatum affectatores, & negotiorum publicorum captatores esse: ipsos quoque sapientes offendi, quod ne quicquam tandiu foueri hominem, delicateque ali, ac subinde venanti etiam Principi adesse pateremur: ipsum verò, & socium paulatim degenerare ab religiosa professione in aulicam. Denique rem cum societatis more, legibusque pugnare. Itaque id exempli aditum non nullis ad licentiam pandere, vt cogitent aliquando sibi quoque permitti posse, vt religiosam disciplinam cum deliciis Aulæ commutent: aliis indignationem aduersus homines tales accendere, vnde mutua caritas læderetur. Scire se Principem toti societati

*Aula Religiosos viros non decent.*